



**B**Yorix Cymbrorū rex fuit, qui rerū gestarum gloria per totum terrarum orbem celebris factus est. erant autem Cymbri Germani, qui Germanici maris littora accolebant, homines procerę stature atque ad arma tractanda nati. Itaq; primo finitima loca bello aggressi, magnam ubiq; rapinam impetrarunt. Successu deinde rerum blandiente alias atq; alias terras infestare ceperunt. Tandem uerò trecenta millia armatorum uirorum patria egressi, Italiam petere atque nouas sibi sedes comparare statuerunt. Itaq; Romani qui eo tempore longè lateq; in Italia imperabant, hisce in tempore occurrere statuerunt. Itaque Papyrius Car-

bo Consul, magno exercitu ijs obuiam progressus, primus ex Romanis arma Germanorum sensit, uerùm infelici successu. nam Byorix uictoria potitus, magnam partem exercitus Romani interfecit, atque reliquos cum Consule fudit & in fugam cōiecit. id quod factum est anno mundi millesimo octingentesimo quinquagesimo primo. Postea uerò longè lateq; progressi, omnia sternebant, atque circumiacentes regiones populabantur. Itaque Romani M. Iunio Syllano Consuli authores fuere ut denuò ipsos aggrediretur, ac prælii fortunam tentaret. Propterea is instructis copijs iterum cum Cymbris pugnauit, anno post priorem uictoriam secūdo. Verùm illi sua fortitudine prælium ineuntes, Consulem cum suo exercitu iterum magna clade affecerunt & fugarunt. Tum uerò Cymbri legatos suos Romam miserūt, sedes & agrum in quo considerent petentes.